



totidem pedites in equorum clunibus transportantes , in aduersam ri-
pam euaserunt , & vtrinque sub auroram improuiso aggeres adorti ,
magno tumultu,magnisque clamoribus subire cœperunt. Tanta cele-
ritas Hispanorum fuit, vt in ea parte præsidium penè prius deiicerent ,
quàm alterum à tota mole pedestris exercitus expugnaretur . Paucis
interfectis , omnes Burrus potitus ponte , inuiolatos conseruauit , &
quum liberaliter etiam dimitteret rogauit, vt ad referendam eius be-
neficii gratiam iam tandem à Patritio sanguine temperarent,& sacro-
sanctum antistitem templo sedéque sua atque ipsos denique nobiles ,
patria atque penatibus dignos existimarent . Ob eam humanitatem ,
Burri nomen Mediolani & Comi clarissimum fuit , & magna quoque
pars eius laudis ad Othonem referebatur , vel inuitis & negantibus
Turrianis, qui plebis animos his humanioribus officiis pietateque ho-
stium deliniri posse metuebant . Huius Burri monumentum in Peri-
stylio ad ædem Eustorgianam nuper vidimus , exesis literis & super-
stante scutata equestri statua cum sceptro , imperatoriisque insigni-
bus ad veram oris effigiem depicta . Cæterum Burrus & Guliermus
diffuso per Laumellinum agrum equitatu , atque inde cum magna a-
gricolarum trepidatione Sepriensem ingressi regionem , ac demum
transuersis itineribus Comensem & Ticinensem secantes viam , vicos
Mediolano proximos inuasere . Erat ad Caratum oppidum in æstiuis
Narbonensium Gallorum equitum ala , ad eam reliquæ Italorum tur-
mæ , atq. item cohortes vti conscriptæ instructæque erant Mediola-
no mittebantur . Napus interea quanto maxime conatu poterat suas
atque externas copias cogebat , vt iusto exercitu cum hoste patenti in
campo congrederetur . Sed dum à Parmensisbus auxilia expectantur ,
Carrocciumq. cum signis militaribus & Valentes prætoriani instruun-
tur (sic enim eos spectatæ virtutis milites vulgo appellabant qui ad
tuenda signa delecti erant) Otho fit certior Gallos negligentius vt in
nullo metu , vigilias obire atque eos noctu opprimi facile posse , si ex-
pedita cum parte copiarum Hispani equites mitterentur . Nec mora-
re ad consilium delata , expeditionem suscepit Burrus, paucisque ho-
ris confecto per noctem itinere , Caratum peruenit . Forte Gallos Ita-
lósque simul ea nocte liberalius epulatos altior somnus oppresserat ,
& vigiles rari in statione segnius agebant , quum Caratenses exacer-
bati hospitum iniuriis Burro faciliores aditus ostenderunt . Itaque ma-
gnis clamoribus occupato oppido , nequicquam tentata defensione
inermes discinctique equites capti , Italicæque turmæ eandem fortu-
nam tulere . Sed quum victores ingenti potiti præda captiuis indulgen-
ter custoditis , corpora & equos curarent , affuit instructo agmine Na-
pus , Othoque & Guliermus eodem ferè temporis punto superue-
nere . Comissa est extra oppidum pugna Burro atque Othone nec
opinantibus,fœda vtrinque militum concursatione , nam & oppidum

Germani